



Octo Consilia & media pro ijs, qui persecutione pati-
untur Religionis causa; Ex Strudely Lib: tertio.

1. Preces assiduas & ardentes ad Deum Patrem, ut nostra infirmitate succuletur ac corroboret, juxta dictu' 1 Petri: 4. 19. Commodate ipsi animas vestras, ut fidei (enc)
 2. Assidua lectio & meditatio Verbi Dei. Hoc enim, ut lumen & pedu' non fidei ita imanes nos a lapsu prestare potest. Philippi. 1. 19. 92. H. 92. 93.
 3. Deus & timor illius perpetuo ob oculos positus. Ad hunc finem nos quib' em docuit Apostolus 1 Tim: 1. 19 dicitur: Quisquam expulsa' bona gratia' fidei fragi' fuisse.
 4. Fuga tentandi DEUM, in re. 1. No quis absq' divina Vocacione adeoq' temere perat vita sua ex prospero Zelo Martyrij. 2. No quis aut per impetiam voluntaria, aut zelu' mali affectum negligat iuscia legitima' utrosq' quib. vita sustentare in exitio possit.
 5. Fuga disputandi cu' adversarijs de salutis angulis, q'ntum no satis ad hanc p'na' info.
 6. Superiori conversatione dominando.
 7. Diligentis pectus gloria impatiencia minuitudo. Festus 2. Hebr: 16. 36.
 8. Obscuratio animi, adhibens tristitiam, q' oritur ex p'ndi malor' p'p'at' & omnia futurorum.
- D. Bernh: lib: 1. de Contid: Sic sapient' immortalia corda: quod scimus
cu' novella nos est in novella...



Si a
NB.
off amf
18918

17.
bi liberta
it off Sued
Sty Solim
re, tempis
f tantu
tur, quod
is dicitur
quasi of
imp...

Rep. LXXV. 18918. no. 30.

1)
P S A L M V S V I G E S I M V S

Waldsassii explicatus in superiori Electorali
Palatinatu $\frac{14}{24}$. Octob. Anno 1619.

Cum Illustrissimo, ac Potentissimo Principi, ac Domino,

DOMINO FRIDERICO,

REGI BOHEMIÆ, COMITI PALATINO
RHENI ET ELECTORI, BAVARIÆ DVCI, MAR-
chioni Moraviæ, Duci Silesiæ, Marchioni Superioris ac Inferioris Lusatiae
&c. à Regni Bohemiæ, & incorporatarum regionum Commissariis,
antegressa Electio denunciata, & ab ipsius Maiestate

Jacobus Habaus Nobilissimus sibi gratia posteritati. Anno D. 1620.
esse acceptata.
Item

CONCIO
DE GLORIA ECCLESIAE
DEI IN TERRIS.

Habita in Pragensi Arce 24. Octobris styli veteris

Ab ABRAHAMO SCULTETO.

E Germanico in Latinum sermonem translata

à M. CHRISTIANO KYFERTO, Sil. Eccles. Palat.



FRANCOVRTI,

Prostant in Bibliopolio viduae IONÆ ROSÆ. M. DC. XX.

FRANCISCVS VI
Willelmo capitano in Imperio
P. Augustini 1600. Anno die.

DOMINO FRIDERICO
REMI COMITI PALATINO
RECTORI BATAVICO DUCI MAR-
chionis Palatini in Rheno-
montano

Handwritten signature and date
1600

DE GEORGIUS BOGESSIAE
BILMTERIA

in Regno...
Ab Andrea...
M. Christianus Henricus, St. Reichs...



FRANCISCVS VI
1600



EXPLICATIO
PSALMI VICESIMI, HA-
BITA VVALDSASSII $\frac{14}{24}$. Octo-
bris Anno 1619.

EXORDIUM.



*C*ARISSIMI in Domino Iesu Christo. Dei bo-
nitas omnia reliqua opera eius anteit! Omnia
eius reliqua opera anteit Dei bonitas!

Merito verò à diuinæ bonitatis laude atq; de-
predicatione Exordium oratio mea capeſſit.

Bonitatis quippe diuinæ eſt, quòd Clemen-
tiſſimus Princeps ac Dominus noſter, FRIDERICVS ELE-
CTOR Comes Palatinus, Auguſto Menſe cunctarum (uti nul-
lus dubito) Eccleſiarum Euangelicarum, quæ afflicta hæctenus,
ſolatio, Bohemiæ in Regem legitime eſt electus.

Bonitatis diuinæ eſt, quòd ELECTVS REX FRIDERI-
CVS, hoc ipſo die, à Regno Bohemiæ, atq; incorporatarum regio-
num celeberrimis ſpectatiſſimisq; Dominis Legatis, in Regem o-
mnium eorum ſuſceptus eſt gaudio, qui animis exoptant, ut
Hieroſolymam omnimoda proſperitas beet, & pax amabiliſſima
in palatys ipſorum decorè vigeat floreatq;.

DOMINE, DEVS mi, magna ſunt mirabilia tua: guberna-
tionisq; tuæ ratio omnino comprehendinequit!

Eia, Domine, in arduo hoc & grandi negotio in TE unum de-
fixos oculos animosq; habemus noſtros, ardentè comprecati, ut

A 2

quod

4
E X P L I C A T I O

quod summâ bonitate tuâ videmus inchoatum, id potentia tua robore ad salutarem perducatur exitum.



Benedicito Regi, ut iustitiâ iudiciorum tuo patris in morem subditos regat: subditorum item corda validè tangito, Regem ut suum filiali amore, timore, honore prosequantur. Vtrisque verò & Regi & subditis largire, ut quam ingressi viarum tuarum sunt semitam, eandem constanter premant: ita demum imperantes iuxta ac subditos in hac & alterâ vita salus beabit sempiterna.

Iam porro quid pijs Regibus, quid subditis sit faciendum, id omne vigesimus psalmus abundè nos docebit: cuius pertractatio ut fructuosa nobis accidat, ante omnia DEVM OPT. MAX. pro Sancti Spiritus gratiâ, auxiliisque, ea quam Christus præscripsit oratione compellabimus:

Pater noster, &c.

T E X T U S.

P S A L M V S X X.

1.  AGISTRO Symphoniæ, Psalmus Davidis.
2.  Exaudiat te Iehoua tempore angustiarum: te in edito collocet nomē Dei Iahakobi.
3. Mittat auxilium tuum è sancto, & è Zione fulciat te.
4. Odoretur omnia munera tua, & holocaustum tuum in cinerem redigatur quum maximè.
5. Det tibi ex animo tuo, & totum tuum consilium impleat.
6. Canimus de salute tuâ, & in nomine Dei nostri vexillis utimur: impleat Iehoua omnes petitiones tuas.

7. Iam

7. Iam agnosco, Iehouam seruare unctum suum, exaudire eum de cœlis sanctitatis suæ; ex summa fortitudine, salute dexteræ suæ.
8. Hicurrum, & illi equorum; nos verò nominis Iehouæ Dei nostri recordamur.
9. Illi incurvant se, & cadunt: nos verò surgimus & consistimus.
10. Iehoua serua, Rex ipse audiat nos, quo tempore inuocabimus.

EXIMIVM sanè ac illustre Iudæ Israelisq; erat regnum: regiones siquidem istæ in diuinâ collocatæ benedictione pulcerrimè omnium florebant: eâq; de causâ iure optimo, cum regione, Deut. 32. quæ melle & lacte flueret, comparari posse videbantur. Verum tamen ad sceptrum coronamq; cùm advocaretur Rex David, infensissimis undiquaq; hostibus eâ tempestate cinctum erat obsesumq;. Itaq; regnorum illorum recens suscepta gubernatio ardua prorsus & laboris plenissima, in plurimas easq; grauissimas difficultates Regem conijciebat. Quin ad eò oneri minimè substitisset, penèq; impossibile visum, ex accumulatis passim grauaminibus sese expedire, & regna turbatis aut desperatis illis temporibus paci tranquillitatiq; donare, nisi & Rex & cordatiores qui erant subditi, pro sua quisque parte, eiusmodi in auxilium advocassent media, quæ sola omnimalo pellendo atq; auertendo adhiberi salutariter possunt. Atq; ea quidem qualia fuerint, prælectus liquido declarat Psalmus, qui edocet nos:

I. De Rege Davide, quomodo aggressus res suas sit.

II. De subditis, qua ratione, quidve pro Rege petierint suo.

III. De Rege subjectisq;, quonam una mente ac voluntate inclinarint.

Quæ omnia prosperitas, pax, gaudium optato concludere exitu amârunt.

6
EXPLICATIO
DE PRIMO.

Ac Regem quidem singillatim quod attinet, de eo Psalmus narrat,

1. quòd ardentè orârit;

2. quòd magnificè sacrificarit;

3. quòd rectè gubernationis regio flagrarit desiderio, atq; proposito:

4. quòd deliberatò egerit omnia:

5. quòd vexilla erexerit, & ipso opere hostibus animosè repugnarit.

1. Nam preces eius nemo profectò in dubium vocauerit ardentissimas, qui in Psalmorum lectione ac meditatione assiduus. Quidnam verò potissimum, diuinum implorans auxilium, orârit, ex septimo Psalmo luculenter patet, dum ita preces instituit suas:

Surge Iehoua in ira tua: extolle te propter grauissimum furorem eorum, qui angunt me; euigila, & attende ad me; quia iudicium præcepisti.

Ergo cœtus nationum circundet te, & propter illum in altum reuertere.

Quasi dicat: Nosti, ô Deus, quàm tristis rerum facies, quàm miserabilis, Saule imperante, conditio extiterit: cœtus ille, qui ad verbi tui præscriptum diuino vacare cultui satagebat, contemptui expositus, dirâ persecutione vexatus, misereque pressus vix caput vocemq; attollere audebat. Huius populi gratiâ in pristinam gubernationem reponas, ut repressis deletisque hostibus tuis, regnum tuum longè lateq; propagetur, ac nominis tui gloria apud plurimas gentes, amplissimis maximisque passim efferatur laudibus.

O egregiam verò causam, cur quispiam sui quodammodo oblitus, omni periculo intrepidus occurfare audeat, & ingentem illam Regiæ administrationis molem humeris imponi suis patitur, si nempe id unum spectari, id videat agitari, ut ad Deum collectus populus, omnem cultus sui rationem, ad ipsius voluntatem in sacris patefactam litteris, ritè componere queat! Ibi valido Deus præsidio, largâq; suâ benedictione præstò erit.

2. Verùm munerum quoque & holocaustorum mentionem subiungit Psalmus, quæ à Rege Dauide magnificè peracta, & quidem iuxta legis diuinæ præscriptum in veteri testamento fuere. Quæ autem

autem

autem quo uis tempore à fidelibus celebrari oporteat sacrificia, siue ad vetus, siue nouum pertineant fœdus, neutiquam alibi dissimulatum piissimus Rex voluit. *Sacrifica Deo laudem, Psalmo quinquagesimo monet, & persolue Altissimo vota tua. Et:*

Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.

Idem Psalmo quinquagesimo primo, *Sacrificia Dei, inquit, sunt spiritus fractus; animum fractum & contritum, ô Deus, non spernis.*

Quid? quod ipsemet Deus aliis in locis declaratum reliquit, quænam in primis sacrificia grata acceptaq; habeat.

Beneficentiam (Hosæ 6. inquit) volo, & non sacrificium: & scientiam Dei plusquàm holocausta.

Quam sententiam etiam atque etiam considerandam Pharisæis proponit Christus, dum discere eos iubet, quid sit illud; *Misericordiam volo, & non sacrificium.*

Horum sacrificiorum studio maximè laudabilis exstitit sapientissimus Rex Salomon, uti prædictum de eo legimus, quòd *liberaturus Ps. 72. sit pauperem clamantem & afflictum cui deest adiutor: quòd sanguis eorum preciosus sit in oculis eius futurus.*

Iam tertio loco animum desiderium, & Regium, quo exarsit sanctissimus ille Vir, propositum exprimit Psalter, utque illud adimpleat Deus, summopere contendit.

Quid verò ille exoptarit, quid constitutum animo habuerit, haud quisquam Dauide ipso clariùs expressiusq; pronunciarit. Sacra enim si spectes, animus illius fixus in eo obnixusq; unicè erat, ut Deo se in solidum approbaret. Itaq; crebris usurpasse sermonibus legitur hæc & quæ affinia illis;

Doce me Iehova, viam tuam: & ambulabo in veritate tua: uni cor meum, ut timeam nomen tuum. ps. 86.

In politicâ administrandi ratione quid in optatis unice habuerit, omnium optimè ex Psalmo centesimo primo patet, ubi exsertis disertisq; de se verbis profitetur;

1. *Prudenter agam, in viâ rectâ ambulans, quando veneris ad me: indescenderentur ambulabo in integritate cordis mei, intra domum meam.*

2. *Non proponam mihi facinus nequam: facta declinantium odi, non adherentur mihi.*

3. *Cor peruersum recedet à me: malum hominem non agnoscam.*

Qui

4. Qui traducit in occulto proximum suum, eum exscindam; qui elatus est in oculis & tumens corde, eum non potero ferre.
5. Oculi mei speculabuntur fideles terræ, ut habitent mecum: qui ambulat in viâ integrâ, is ministrabit mihi.
6. Non habitabit intra domum meam qui facit dolum: qui loquitur mendacia, non stabilietur coram oculis meis.
7. Singulis matutinis exscindam omnes improbos terræ: ad rescindendum à ciuitate Iehouæ omnes operarios iniquitatis.

Verè Regium propositum, factò & imitatione Regibus Principibusque omnibus exprimendum, qui quidem optimè rebus consultum suis volent!

4. Sed & Regis instituta consiliaque; exprimuntur. Neque id temerè & præter rationem factum. In florenti namque; & rectè constitutâ Republicâ, omnia sapienter excogitata, & prudenter deliberata esse necessum est.

Consilium prosperitatem donat, vetus verbum habet, ab ipsâ certè Veritate dictatum. Proin optimi facti laudem merentur iuvenes Principes, qui viros consiliarios, sapientiâ celebres, & usu multiplice atque peritiâ graues pronis animis admittunt, eorumque monitis assiduas aures præbent. Hinc enim prudentiâ mentes ipsi suas formant firmantque; hinc Dauidis Regis ad eorum eos mactabit, ut quasi pleno ore illud de iis ebuccinetur elogium:

Res omnes consilio & ratione agunt: ideo hostium consilia facile eludunt, conatusque; elidunt.

5. Ad extremum, vexilla ab Israelitarum Rege erecta ostentat Psalmus. Id quod apprimè notatu dignum.

Vbi preces ad Deum fusæ, sacrificia peracta, desideria animo concepta, consilia sapienter præmeditata fuerint, operi etiam manus admonenda, euentusque; omnis Deo Omnipotenti in solidum relinquendus, minimè verò ad cupiditatem nostram aptandus.

Videte, ad eum modum negotium pertractauit Regum celeberrimus Dauid. Pari ratione prosperè piis Regibus cuncta procedent, qui Dauidis exemplo orantes, sacra facientes, consilia ineuntes, vexillaque erigentes, ad Reipublicæ accedunt gubernacula.

DE SECVNDO.

Quoniam itaq; qualem sese sub ipsa regni primordia piissimus Rex gesserit, percepimus; age porro audiamus, quamnam Regi suo operam fideles nauarint subditi. Nempe, quemadmodum Psalmi verbis edocemur.

1. *Pro Rege ardentè orârunt:*

2. *Pro Rege fortiter depugnârunt.*

Ac preces quidem subditorum oppidò quàm bellè adornata **I.** sunt. Id enim vehementer à Deo expetunt, vt suspiria votaque de-
uoti Regis benignis exaudire auiibus dignetur.

Quàm pronus enim in preces ferretur Rex, exploratum probè habebant: illius igitur orationes ne respuat, sollicitè instant. Bonum factum! Neque enim gratius Deo officium præstare subiecti possent, quàm si assiduis precibus Regum Principumq; suorum salutem illi unicè commendent. Et quí non gratam ratamq; DEUS habeat pro Magistratu pio institutam precationem, cum pro Nerone Imperatore, Regeque Nebucadnezare fundi preces iusserit? Quid? quòd subditorum gemitus votaq;, quæ superiorum Saluti animitus impendent, & amoris sui imperantibus debiti, & promti obsequii testimonium sunt longè clarissimum. Id quod eximiam in republicâ laudem obtinet, & nobilitate suâ quàm maximè sese commendat: uti ex eo ipso veris amplissimisque præconiis Augusti Cæsaris gubernationem exornat Latinorum Poetarum coryphæus Virgilius, cum canit: *Victorq; volentes*

Per populos dat iura.

Verùm id orasse non contenti, eidem diuinum auxilium his verbis deprecantur.

Nomen Dei Iacobi Te protegat.

Hebræi fontes sic habent: *In edito te collocet.*

Tum demum verò attollit illustremque reddit Deus Regem, cum victoriam victoriæ addens, apud vicinos Reges, Principes & proceres scepro condignam dignitatem maiestatemque illi conciliat.

Atque hæc insignitè proba, minimèque fallax proborum est subditorum nota. Qui calido fidei q; affectu dominum amat su-

B

um, i-

um, ipsum in summo quoque honoris fastigio euehi, & hostium victorem cunctis amatum æstimatumq; reddi, idem ex intimis sensibus optat.

Adiungit verò & locum, unde Rex extollendus, id est, ope auxilioq; diuino sit subleuandus, Sionem nempe montem, sanctuarium. Id quod veteris more testamenti dictum existimari debet, vbi audire erat istas voces;

Qui ad sanctuarium, siue in monte Sionæo, quò fœderis translata arca, Dei inuocauerit nomen, is certo certius exauditum se iri confidat.

At in nouo testamento amabilis ista sonat promissio;

Quisquis in nomine unigeniti Filii sui seruatoris nostri cœlestem implorauerit Patrem, eius optatis clementer annuet.

Quod si quis iam sincero Regis amore flagrat, næ is *ἀπὸ βαθείας* *γνώμης* orabit, ut Deus propter Filium suum Regis vota fauore subsequatur suo.

3. Tertio loco hæc precatiōni verba attexit populus:

Memor sit omnium oblationum tuarum, & holocaustum tuum pingue reddat; siue, de aliorum interpretum sententiâ, holocaustum tuum in cinerem redigat, sicuti Aaronis, Eliæ, Salomonis Sacrificia, demisso cœlitus igne, absunta fuisse legimus.

Quo quidem indicio è sublimi illâ sede testatum Deus clarè voluit, sese in virorum illorum Sacrificiis prono affectu suauiter conquiescere.

Et huc nimirum aspirant suspirantq; populi preces, ut conspicuo aliquo signo publicè Deus demonstrat, Regem se Regisq; cultum amore atq; fauore suo dignari.

Arrigant hîc aures animosq; Principes, & Reges cuncti, certoq; persuasum habeant, siue Deo sacrificent, siue hominibus, nunquam successu optato se destitutum iri.

Act. 10. Si enim sacrificare Deo animus est, ecce orationes & eleemosynæ ipsorum ascendunt in memoriam coram Deo.

Matt. 25. Sin & caritatis, misericordiæ, iustitiæq; Sacrificia hominibus offerre placet, summis in hac vitâ laudibus passim extollentur, in alterâ sempiternæ gloriæ per eosdem commendabuntur.

Quam-

Quamobrem & Deo, ô Reges, & afflictis subditis sacrificare: Sacrificiorum talium præconia, nulla unquam apud Deum, nulla apud homines oblivio obscuratura aut deletura est.

Denique prætereundum minimè est, quòd populus & hoc impense orat, ut desiderium, piumq; Regis propositum, & consulta consilia Deus adimpleat. Atque hinc minimè omnium eas intelligit cupiditates, quæ carni ablandiuntur, quasue pravi insinuare affectus solent, sed quæ à Sancto profectæ Spiritu, diuina sapiunt: pariq; ratione nec stulta & temeraria cogitata consiliaque admittit, sed ea duntaxat, quæ Dei gloriam sibi propositam habebant, & ad publicum bonum tuendum conseruandumq; spectare videbantur. Id quod appimè necessarium. Esto enim, bono rectoq; proposito rem quampiam suscipiat Princeps, omnia maturè, sapienterq; deliberata sint; certè & generosa maximè instituta turpem exitum consequuntur, & sapientissima consilia insipienter desinunt, nisi Deus & illa & ista adimpleat. Ut verè illud Psaltis & hac in parte iure usurpare liceat:

Nisi Dominus edificat domum, frustra molestias perferunt, qui eam edificant. Psal. 127.

Et quid quæso causæ esse putabimus, cur persepè mundi sapientes in senaculis suis tessitent, omniq; studio & diligentia rem deliberent, & percoctam satis Prudentiæ ad solem ita statuunt, ut euentum etiam præstare sibi in decretis suis videantur; nihilominus tamen, malus iis exitus obueniatur: ecquam verò causam assignabimus aliam, quàm istam, quòd sapientissima illa cogitata optato coronare exitu Dominus recusauit?

Quæ cum ita sint, agite ô fidelia capita, obnixè precibus nostris Numen amicum & propitium Regi exoptemus nostro, ut non solum, quam in ipso mente excitauit, & salutaria quæ suggessit consilia, Spiritûs sui robore firmeratque alat, sed & pro voluntate suâ benignâ perficiat, atq; ad salutarem finem deducat. Atque hæcenus quidem ardentissima ad Deum vota pro Rege Dauide fudere subditi: sed & vexilla erexerunt, id est, cum Rege ad pugnandum arma sumserunt, parati, pro Rege, pro patriæ salute, corpus, vitam, famam, bona profundere, præclaro ad imitationem cunctis subditis relicto exemplo, ut & ipsi hac in parte, pro Magistratu & salute

communi, non modò assiduè orare, sed animosè quoq; decertare in animum inducant.

DE TERTIO.

Quid Rex, quid Regi subditi pro suâ quisque parte fecerint, Psalmus commonstravit: subiungit nunc, quâ in re conformis atque unanimes eorum fuerit consensus, quòd nimirum mente, voluntate, studio, voce coniuncti cecinerint:

Nos (id est, Rex, subditiq;) canimus de salute, tuâ, & in nomine Dei nostri vexillis utimur.

Hi curruum, & illi equorum; nos verò nominis Iehouæ Dei nostri recordamur.

Explicatio.

En geminum germanum filiorum Dei artificium!

Cor à terrâ avulsum cælo affixum habent. Curru & equis utuntur, instrumenta parant, arma contra hostes expediunt, sed in medio tamen eorum usu, victoriam è cælo plenâ spe fiduciaque expectant.

Regem Dauidem mihi vide. Is

Hac fiducia vicit,

Hac Moses,

Hac Gedeon,

Hac Iosaphat & Hiskias, celeberrimi Iudæ Reges,

Tam amplis præmiis maectare amat Deus animosam spem, quæ in cælo penitus reposita!

Contrà qui animum & fiduciam ad equos & currûs vertunt, de iis verè omnino Psalmus asserit:

Incuruati sunt, & ceciderunt;

Philistæi, Ammonitæ, & Syri, à Dauide prostrati:

Midianitæ, à Gedeone, Rex Ogus à Mose devicti.

Et quod obseruatu maximè dignum, Israelitæ causæ licet bonitate superiores, à Benjamitarum tribu semel iterumq; multâ & miserabili clade profligati occumbunt.

Ita nempe Deus fiduciam omnem vindice manu punit, ponitq; quæ terræ nixa adhærescit!

Quoties igitur currûs equosq; intuemur nostros, toties dicti huius memoria animo repetenda: Isti, (gentes puta, & idololatriæ nostrâ

nostrâ

nostrâ ætate populi) curribus equisq; nituntur: nos verò nominis Iehouæ Dei nostri recordamur. Non probat fortitudinem equi neq; delectatur tibiis viri: delectatur autem Dominus timentibus ipsum, quiq; benignitatem ipsius præstolantur.

Hic verò in quæstionem vocari non immeritò possit, cum tota *quæstio.* Scriptura spem, quæ in currus fixa est & equos, penitus reijciat, damnetque, eccur Deus, quam caram habet Ecclesiam, sine curru- um tamen atque equorum ope contra vim hostilem minimè propugnatum velit.

Sedenim DEO sapienti ita visum, qui continuâ istâ Ecclesiæ suæ *Re* pugnâ, fidem, inuocationem, patientiam, constantiamq; nostram exercere ac probare cupit. Quin, frænum etiam nobis inijcit, ferocientemq; animum nostrum flagris quasi coercet, qui è vestigio erumperet, si perpetim felices, & fortunæ albæ pulli; ab omni hostilis persecutionis metu remoti viueremus.

Accedit huc, quòd hac ratione conspiciendam Deus mundo *3.* exhibet nominis sui gloriam, quæ elucet clarissimè, cum bellicosissimæ Midianitarum gentes longè minori Gedeonis manu devictæ, potentissimus Midianitarum exercitus exiguis Iosaphati copiis, elatus inflatusque Sennacheribus piissimi Hiskiaë precibus profligatus interit.

Iam illud lubens prætereo, externâ istâ palæstrâ præparari quasi *4.* Ecclesiam, & ad spirituale certamen contra peccatum, mortem, Satanam, infernumque animari: in quo tandiu illi persistendum, donec fidei scopum, vitam illam sempiternam gloriosè tandem consequatur.

EPILOGVS.

Atque hoc quidem, Psalmi vigesimi explicatione propositâ monendum præsentis occasione temporis duxi.

Quis Regis nostri status sit, probè cognitum habemus: quem in locum Regni Bohemici res sint deductæ, videmus.

Percepimus item, in quantas difficultates Dauidem Regem primus gubernationis aditus coniecerit.

Benè habet! Daudis Regis subditorumq; preces præfens auxilium opemq; præcipitanti Reipublicæ porrexere.

Regis Daudis & Israelitici populi insignis fiducia in Dei curribus atque equis locata, è perniciosissimâ flammâ ac velut communi quodam incendio regnum eripuit, restituit, conservavit. Vivit adhuc, viuit idem ille DEUS. Regis & nostræ fidelium subditorum preces rebus afflictis hodieq; opem ferent, salutemq; dabunt maximè. Non humani operis res hæc est: DEUM OPT. MAX. autorem actoremq; agnoscit. Is ipse pro ea quâ cuncta efficere valet, potentiâ institutæ rei exitum optimè expediet, ut ego & quiuis fidelis in ea verba læti olim erumpamus, quæ Psalmus porro attexit:

Iam agnosco Iehovam servare unctum suum, exaudire eum de cælis sanctitatis suæ; ex summâ fortitudine, salute dextera suæ.

Quum itaque, Clementissime Domine, æternus idemq; sapientissimus Deus Regiæ Vestræ Maiestatis caput Coronâ Bohemicâ exornatum voluerit, pro munere meo non possum, quin Regiæ Vestræ Maiestati, in conspectu Dei, Angelorum, celeberrimiq; huius confessûs, ex penitissimo pectore Regium hocce axioma gratulatus, ad amplam, quam sustinet, prouinciam ritè obeundam, omnimodam prosperitatem, diuinam benedictionem, & faustissima quæq; comprecet.

DEUS æternus ille Pater cœlestem misericordiam suam, Dei Filius Iesus Christus perennem amorem suum, Spiritus Sanctus, qui verus in quibusvis aduersis consolator audit, potentem suam virtutem, Regiæ Vestræ Maiestati largiter affundat.

Atque

Atque adeò Regia Vestra Maiestas planè persuasum
 impressumq; animo habeat suo, DEUM hac ipsâ luce,
 Regiam Vestram Maiestatem quasi è cœlo, iisdem, qui-
 bus fortissimum olim Heroa IosuaM Israelitarum Du-
 cem designatum, verbis alloqui: / Jos: cap: 1. p. 5-6-7. v.

*Sis fortis, & robustus: non faciam te remissum, neque dese-
 ram te. Modò tu sis fortis, & admodum robustus, ut
 custodias & agas secundum uniuersam legem meam: non
 recedes ab eâ, sed meditaberis in eâ die noctuq;.*

*Tum prudenter ages in omnibus in quibus incedis. Sis for-
 tis & robustus: ne formides, neue animo frangaris: quo-
 niam ego Deus tuus adsum tibi in omnibus, ad qua tu pro-
 ficisceris.*

Id faxit fidelis ille DEUS, per Filium suum Ie-
 sum Christum, Spiritûs Sancti virtute,
 A M E N.

P R E C A T I O

finitâ Concione instituta.

*Omnipotens, misericors Deus & Pater, gratias Tibi quantas
 possumus corde habemus ore dicimus, quod verbi tui predicatio-
 ne, & efficaci Spiritûs Sancti virtute, Ecclesiam inter nos Tibi
 colligis, collectamq; potente tuâ dextera conseruas.*

*in primis verò illud grato animo agnoscimus, meritoq; depre-
 dicamus, quòd inclytos Heroas, Principes, Regesq; excitas, qui
 iuxta Iesaiâ vaticinium, externa hac mundi senectâ, Ecclesia se
 tuâ nutritios exhibent.*

*Ac quoniam te moderatore sceptrâ gerunt Reges, commenda-
 tos Tibi unice volumus omnes Christianos proceres, Principes, Re-
 ges, præcipue verò inclytum Magna Britannia Regem, Regiam in
 Bohemia Maiestatem, Maiestatis ipsius Regiam Coniugem,
 Domi-*

Dominam Matrem, Dominum Fratrem, juniores florentissimos Principes, unà cum reliquis, qui ipsos attinent, ut & Regiæ Maiestatis in superiori Electorali Palatinatu Administratorem Dn. Christianum Anhaltia Principem, Celsitudinis ipsius Coniugem carissimam, & generosissimos Principum flosculos.

Exaudi, ò DEVS, Regem, cùm te invocat: eundem ceu oculi tui pupillam, clementer tuere: exalta ipsum pro beneuolæ voluntatis tuæ arbitrato: auxilium ipsi è sanctuario tuo subministra: omnium quæ offert sacrificiorum clementer recorderis: desideria ipsius cuncta expleto, consulta eiusdem consilia optatissimo concludere exitu dignator.

Da præterea subditis eiusmodi animum, qui Regi quod debet obsequium libenter præstet, & cultum venerationemq; ipsius induat: ut sub Regiæ ipsius Maiestatis gubernatione prosperè omnia procedant, & impijs marcescentibus p̄ pulcrè vireant floreatq;, ac eorum numerus indies magis magisq; adaugeatur, qui Te Filiumq; tuum Iesum Christum rectè agnoscant, nomenq; tuum gloriosum condignis laudibus extollant.

Porro gratia tuæ alis complectere omnes eos, quos immaniissimi verbi tui hostes, in Bohemia, Moravia, Austria, alibiq; locorum ferro ac flammis crudelissimè persequuntur: potenti brachio tuo ipsis assiste, equos currusq; hostiles prosterne, ut TE, ò DOMINE, populi tui esse auxilium presidiumq; liquido deprehendant. Subueni omnibus tentatis, agris medere, molestia, ærumnisq; affectos, solatio erige tuo, usq; & nobis exoptatam tuam largire pacem, per Iesum Christum Filium tuum, qui nos ita in nomine suo porro TE inuocare iussit;

Pater noster &c.

CON.



CONCIO
DE ECCLESIA DEI IN
HISCE TERRIS EX-
CELLENTIA.

Habita

In Arcis Pragensis templo, 24. Octobr.
styli veteris.

EXORDIUM.

*Faxit Dominus & Seruator noster Iesus Christus dilectus, lau-
datusq; unà cum Patre & Spiritu Sancto, Amen.*

DILECTI in Domino. Quum cogito mecum,
coram quo, quove in loco verba faciam ho-
die, concionemq; habeam, è Psalmis Dauidi-
cis non sine admiratione equidem dicere co-
gor: DOMINE, DEUS MI, magna sunt mirabilia
tua, quæ fecisti nobis, magnæ cogitationes: nec est De-
us similis tibi. Recensebo ea, utut eorum multitudi-
nem nulla oratio assequi enumerando, aut narrando pos-
sit. Dominus ædificat Hierosolymam: dispersos Israe-
lis congregat: sanat contritos corde, eorumq; dolores
alligat. Annunciat Bohemiæ Regno verbum suum,
statuta atque iudicia sua regionibus incorporatis. Om-
nes quotquot auribus id usurpant, fateri & agnoscere
necessum est, Deum hoc patrassè, & ab ipso autore omne
id esse profectum.

C

Quod

- ⁂. Quod si in primitiua Ecclesia singulari animi lætitiã pii exultãrunt, quòd diuturnã persecutione exantlatã, in vrbe Constantinopolitanã, sub Imperatore Constantino conuenire, diuinumq; peragere cultum potuere :
 ⁂. quibus nos gaudiis efferemur? quã lætitiã triumphabimus, quòd sub Serenissimi recens Electi Regis nostri FRIDERICI auspiciis, post tam longam grauemq; quam fidelium cætus sustinuit, persecutionem, in hisce regionibus, & Pragæ quidem, in ipsis Arcis templis, sacri verbi publicam explicationem proponere ac percipere licet.

2. Mach: 4. 38. 39. 22.
 2. Mach: 4. 38. 39. 22.

— Iudæos fideles maximopere legimus exhilaratos, cum Hierosolymitanum templum, quod Antiochus Rex fœde profanãrat, per IUDAM MACCABÆUM sanctis vicissim vsibus viderent adhibitum: quĩ non igitur maximo nos perfundi oportet gaudio, qui templa ista diu iam cultui Dei Maozin dicata, dilucidã Euangelii prædicatione depurgari, & viri Dei habitacula, piarumq; orationum effici domicilia conspiciamus?

Eia, Domine, æterne Deus, immortales tibi pro summo hoc beneficio laudes gratesq; dicimus, te celebramus, meritisq; preconiis extollimus: simulq; rogatum te volumus, vt si Rex noster hic vota precesq; fuderit, è sublimi eas cælo exaudias; si tuus Regisque populus post hac peccatorum remissionem, in malis solatium auxiliūq; cæleste implorarit, cœlitus rogationibus annuas, & populi tui delictis, gratiose veniam impertitum eas.

In primis hoc abs Te contendimus, vt non externum duntaxat istud, sed cordiũ in primis nostrorum templa, Spiritu tuo sanctificare digneris, eaque à peccatorum omnium ac iniustitiæ sordibus purifices, vt sint maneatque gloriosi nominis tui laudi destinata Oratoria, in quibus tam diu manifestum te gratia atq; misericordia

dia

dia reddas, donec in iisdem claritate gloriaque plene te optato illo reveles die, cum sub Rege Regum Iesu Christo Filio tuo, Domino & Servatore nostro, non in arce Pragensi, sed in illo caelesti monte congregati, plena te luce gloriaque splendore conspicuum latis oculis gestiemus intueri.

Et quia prima Euangelica Concio in templo hoc mihi habenda est, de Ecclesiae in terris gloria ac decore dicere nonnulla constitui. Quod ut pertractari fructuose queat, Dei gratiam, sanctique Spiritus auxilium serio implorabimus, precaturi, prout ab ipso Domino & Servatore nostro Christo edocti sumus:

Pater noster &c.

PSALMVS XLV.

vers. 14.

Tota gloriosa est Regis filia intrinsecus.

EXPLICATIO.



Redo ego, fore permultos, qui mirentur, quòd de Ecclesiae Dei in terris excellentiâ differere coner. Vera namq; Ecclesia de ignominia citius quiritari nouerit, quâ malè in mundo deformatur, quàm gloriam decusq;, quo decorata niteat, ostentari.

Ac quanquam pro suâ Deus bonitate pietate florentem Iosuaem aliquem, Dauidem, Iosaphatum, aut Hiskiam quandoque excitat, sub quorum imperio optimè florere pij videantur: felicitate tamen istâ diu perfrui nequitiam datum: illicò ad Iesu Christi vexillum crucis insignitum notâ de integro redeundum, contra mundi principem assiduè pugnandum fidelibus est, dum gloriae in alterâ vitâ coronâ decorentur.

Age verò hoc ipso fine demonstrare animus est, quâ in re omnis Ecclesiae Dei in mundo sita gloria sit atque excellentia. Plerique hominum externam solummodo speciem splendoremque intuentur, eamq; animo imbiberunt opinionem, vbi argento auroque

cuncta niteant, & soluto animo, cum pace ac tranquillitate bonis perfrui suis cuique liceat, ibi Deum habitaculum fixisse suum, atque eo demum priuilegio Ecclesiam putant donatam, ut illustri & excelso in monte posita, meras lætities deliciasq; decantet.

Verumenimverò si rem hanc Spiritus Sancti iudicio examinandam committamus, longè aliud percipiemus, nimirum non externum, at internum Ecclesiæ spectari oportere decorem, qui si usquam compareat, inde colligendum indubitato esse, genuinum Dei populum ibi residere.

Ad eum quippe modum de germanâ Ecclesiæ Dei gloriâ loquitur:

Omnis pulchritudo filia Regis est intrinsecus.

Iam verò quænam illius interna sit præstantia, quis decor, ostendendum necessariò videtur.

Hiscæ in uniuersum partibus interna Ecclesiæ eminentia atq; excellentia comprehenditur.

- I. *Quòd in eâ purum putum Dei verbum proponitur.*
- II. *Quòd in eâ demum innotescit, quæ vera precandi ratio, quove pacto, ut exaudiatur, oratio sit instituenda.*
- III. *Quòd in eâ p̄ mirabiles Dei liberationes prædicant atque decantant.*
- IV. *Quòd in eadem plurimi existunt, in quibus, Sancto Spiritu autore atq; operatore, fides & sincera pietas clarissimè luceant eminentq;.*
- V. *Quòd ibidem tantum & non alibi indubitata vaticinia, & ab omni suspicionis scrupulo remota vigent miracula.*
- VI. *Quòd membra eius, in mundi licet oculis penitus videantur emortua, occultam quandam intra sese vitam fovent.*

*Prima Ecclesiæ gloria interna,
Dei est verbum.*

¶ Hic verbum. Itaque in eo primùm Ecclesiæ Dei gloria triumphat, quòd veteris nouiq; testamenti scripta purè incorrupteq; retinet, eaq; contra quasuis humanas adinventiones animosè propugnatum it. Quanti verò istud æstimabimus decus!

Pater

Pater, inquit Christus, hac est vita aeterna, ut cognoscant te solum *exalligantia*
verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. *Job. 17. et*
Jesus ex illis.

Cognitio ista è nullo alio, quàm verbi diuini fonte promanat: 1.
 Hoc ipso verbo doctore Filium nosse & Spiritum Sanctum di- 2.
 scimus.

Hinc adeò limpidissimi vivi solatii rivuli fluunt, quibus anido 3.
 palato degustatis, anhelantes animæ nostræ mirificè recreantur, Da-
 uide id disertis hisce verbis de se profitente:

Nisi lex tua mea delicia fuissent, periissem in miseriâ meâ. Ps. 119.

Ad huius normam verbi vitam nostram componimus, illudque 4.
 in ambagine omni ac caligine ducem habemus lucemq; sicuti per-
 scriptum extat:

Verbum tuum pedum meorum est lucerna.

Tanti profectò gloriam istam diuinus Moses fecit, vt pronun- *Pis affectus in id*
 ciatum reliquerit: *Deut. 4. opta.*

Hæc est sapientia & intelligentia vestra coram populis, qui audient o-
mnia statuta ista, vt dicant: En duntaxat populus sapiens &
intelligens est gens hæc magna.

Nec à Mose abiit Dauid Rex, qui eandem gloriam tam precio- 2.
 sam æstimatamq; habuit, ut eo nomine cunctis reliquis gentibus
 Iudaicum anteponebat populum non dubitârit cùm diceret:

Nunciat Deus verbum suum Iacobo, & decreta sua ac iudicia Israeli. Ps. 147.
Non egit ad hunc modum cum omnibus gentibus, neq; manife-
stauit eis iudicia.

Id quòd temerè factum minimè videri debet.

Etenim vbi neglecto spretoq; Dei verbo animi auresq; humanis 1. *Intemera qd con-*
 explentur traditiunculis, latet vera Dei cognitio crassis occultata 2.
 & circumfusa tenebris, vivæ consolationis sensus in cordibus peni- 3.
 tus euanescit, in summo deniq; errore, atque maximarum rerum i- 4.
 gnorantiâ homines versantur, dubii incerti que quò se vertant, ad
 quam regulam vitæ suæ rationem instituant.

Altera gloria Ecclesie, precatio, precumq;
est exauditio.

Iam verò secundo loco istam quoque gloriam sibi unicè vendi- 2. *Præc.*
 cat Ecclesia, quòd in eâdem præstantissimus Dei cultus, quo ipsum
 in vo-

invocamus, iuxta verbi diuini præscriptum maximè urgetur, & in usu assiduo positus est.

*Tanti in farta, unus
cultus Dei.*

LUC. II.

In verâ Ecclesia rectè precandi tenemus rationem.

1. Ibi enim, ad quem dirigenda sit oratio, patet atque in promptu est, ad Patrem nempe Domini nostri Iesu Christi, uti scriptum legimus:

Cùm oratis, dicite, Pater noster &c.

2. In eadem exploratè cognitum habemus, cuius in nomine Patrem precibus compellare nostris deceat, puta in nullius alterius præterquam Filii sui Iesu Christi fratris & Immanuelis nostri: qui ipsemet dulcissimâ hac promissione ad interiora illius penetralia aditum nobis patefaciens, *Quicquid, inquit, Patrem in nomine meo petieritis, dabit vobis.*

3. In verâ Dei Ecclesia precantium exaudiuntur gemitus.

Pf. 65.

Ibi Deus preces exaudit: ideo omnis caro ad ipsum venit.

Iosue 10.

Ibi ad Iosue Principis Viri orationem Sol cursum sistit suum:

Ibi iustitiæ sol (Christus) ad mendici consistit vocem.

Iob. 1.

Ibi, quod Christus in noui testamenti Ecclesia fore prædixit, quotidie videmus adimpleri;

Posthac videbitis Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.

••• — Angeli sunt pii omnes: hi ardentibus precibus ascendendo & descendendo *ἀνακαίματα* Christum nempe petunt.

• Ascendunt tristes peccatorum cum sarcinis: descendunt læti cum viuificæ consolationis sarcinis.

Neq; à scopo aberrant suo. Promissiones namq; in diuinis oraculis expressissimæ extant:

Ioelis 2.

Quisquis nomen Dei invocauerit, seruetur.

Rom. 10.

Et: *Idem Dominus omnium, diues in omnes qui invocant ipsum.*

Deut. 4.

4. Quanta hæc dignitas! quàm eximius decor!

Quæ tanta gens est, ad quam dñ accedant, ut Iehoua Deus noster, quoties eum invocamus? ait Nomotheta Israeliticus.

Idem de piorum cœtu hodieq; honorificè usurpauerimus:

Quis præter nostrum, populus est, cuius gemitibus votisq; que tam benignas Dominus Deus aures præbeat!

Quis optin. Sicut

contra idolis qui sese addicunt, & in discrimine constituti ad

crea-

creaturas velut ad asylum confugiunt, ij huius gloriam exauditionis ne utiquam arrogare sibi possunt, sed quod suâ ætate idololatri ob- jecit David, id iure illis hodierno die accommodare licet:

Clamant, nec est servator: ad Dominum, nec respondet eis.

*Tertia gloria Ecclesie in mirabili fidelium li-
beratione sese exserit.*

*Ps. 18,
3.*

Precum exauditionem stupendæ excipiunt liberationes, quæ in *3. stupenda
liberationis.* rebus propemodum desperatis fidelibus obveniunt, quales qui- dem alibi nusquam reperias. Hic vides conservatum

Noam in diluvio,

Mosen in ripâ Nili,

Danielem leonum in foveâ,

Ionam in ventre ceti,

Paulum in naufragio,

Tres juvenes ardenti in fornace.

Nec obscura est beneficii huius ratio. A dextris enim assisten- *Rao.* tem habuere eum, qui unicum in quavis calamitate piorum per- fugium, auxiliumq; est certissimum: uti sanè pia antiquitas in eas- devenit cogitationes, ut non inveniustè quartum adolescentem i- psam Dei fuisse Filium putârit, qui tum in ardenti camino vilus, ve- hementissimos represserit æstûs, & in hodiernum usq; diem in af- flictionum nos igne refrigeret, suaviterq; recreet.

Quantæ verò excellentiæ res est, quòd genuinæ Ecclesie mem- bra exploratum habent, si ambulandum ipsis per tentationum sit ignes, à flammis se immunes fore, si per calamitatum transire o- porteat aquas, fluminibus se minimè inundatum iri.

Age quisque vitæ suæ totius rationem subducatur, & quàm mira- *cc. Siquid opor-
teat quicq;* biliter ipsum Dominus rexerit atque direxerit, cogitet, quoad lon- gissimè potest mens respicere spacium præteriti temporis, & pue- ritæ memoriam recordari ultimam: næ ultro is fatebitur, non alio- rum tantùm exempla oculis se suis ingerere, sed semetipsum mira- culosæ liberationis divinæ clarissimum extitisse exemplum.

*Quarta Ecclesie dignitas in lucidâ fide &
illustri posita est virtute.*

Præter superiora ista, peculiare quiddam, quo gloriatur, quoq; *4. Illustris fidei
virtus,* mini-

CONCIO DE GLORIA

24

In floribus plantat
1. Filialis fiducia
 minimè alibi sese exerit, vera Ecclesia habet; lucidam dico fidem, clarè fulgentem virtutem.

2. De geminis virtutibus
 Etenim filialem in electis fiduciam Spiritus Sanctus plantare amat, ut Iesu Christo freti cœlestem Patrem accedentes, collo se eius quasi implicent, illum suaviter osculentur, atque amplexentur, dicentes, Abba Pater: noster tu Deus es: te amamus, honore te prosequimur,

Sed & idem Spiritus omnis generis pulcerrimas in iis virtutes accendit, quarum face, in mundi huius tenebris, ut luminaria, multis aliis decorè prælucent.

3. Charitate regni
2. Quis subsisteret
 David Deo & cœlo plenus, insidiatorem vitæ sceleratissimum Saulem, vitâ tamen minimè vult exutum.

3. pro malis bonam gratiam
 Ionathanem mihi vide. Is diadema regni Iudaici & Israelitici capite detractum suo, Davidi, quem carum eximiè habuit, vltro imponit.

Stephanus lapidibus penè obrutus seriò Deum orat, iis vitam donet, qui vitam nefariè ipsi ademtum ibant.

3. In curia patrum
 Quid dicam de Thessalonicensibus? qui tam magna caritatis fraternæ dederunt incrementa, ut nullis eos admonitionum suarum indigere stimulis, Apostolus scribere non dubitârit.

Quàm illustre verò patientiæ exemplar mundo spectandum exhibuit Iobus! qui uno post alium tristis nuncii ictu peritus, cum modò camelos, modò oves bovesque ereptos, mox liberos miserè interemtis perciperet, erectâ fortiter cervice nil nisi laudes gratesq; Deo sonat, & altâ voce clamat:

3. plura horum
Constantiam
 Dominus dedit: Dominus abstulit: Domini nomen collaudetur. Iam fidei constantiam, & animosam in summis angustiis spem fileo, quam innumeri Martyres summâ cum laude pariter & admiratione ostenderunt.

Egypte. 1.
 Quàm erecti excelsiq; animi octogenarius Antiochiæ fuit Episcopus Babylas! qui unâ cum uxore & ipsâ exactæ ætatis, supplicium aditurus, egregiis ex Ps. 116. myrothecio depromptis verbis seipsum effatus;

Revertere, dixit, anima mea ad locum tuum quietum, quia Dominus in te beneficium contulit. Quia tu eripuisti animam meam morti, oculos meos lacrymis, & pedes meos lapsui. Quare sanctè vitam degam coram Domino in regionibus viventium.

Quàm

Quàm sancto robore armatus & Angliæ Archiepiscopus Thomas Crammerus fuit! qui non exhorruit, dextram, quâ idololatri-
cæ Missæ antea subscripisset, longissimè protensam ignique tam-
diu admotam constanter tenere, donec nigredine infecta penitus
fuisset.

Eant nunc Ethnici, & Socratem deprædicent suum, extollant
Aristidem: neque in Socrate, neque Aristide istæ Spiritus Sancti
flammæ se exferent. Ficulnea sanè cernere erit folia, quibus inter-
nam cordis labem atque dedecus tegere atque occultare fatege-
runt.

*Quinta veræ Ecclesiæ magnificentia in vaticinijs &
miraculis spectatur.*

Neque verò illud dissimulandum, quòd nulla alia, præter ve-
ram, Ecclesiæ, tam indubitata vaticinia, & ab omni suspicionis scrupu-
lo remota habet miracula. *Indubitata vaticinia.*

Hinc adeò omnipotens DEUS demonstrationis ergo futurorum
prædictiones in medium producit apud Iesaiam, Deosq; gentiles
ad iudicium quasi provocat; veniant, & suo exemplo, quæ ventura
sint, denuncient. Quo ipso, præstari ab ipsis hoc non posse, ma-
nifestè declarat. Vnde colligere in promptu est, eos omnes à veræ
Ecclesiæ Dei viâ aberrare quàm longissimè, qui idolis cultum defe-
runt, animumq; mancipant suum.

Illud præterea extra controversiam positum, in germanâ dunta-
taxat Ecclesiâ talia edi miracula, ubi nihil subdolum surrepit aut im-
ponit. En mortui ibi suscitati, & verâ vitali luce iterum donati. Ibi
quibus ad gignendum natura adversa, naturæ vitio divinitus corre-
cto pariunt. *Tantum in Germania vixit miraculorum.*

Ibi virgo absque virilis interventu feminis prægnans fit.

Ibi cœli cursus in cœlo cohibetur, aqua in vinum commutatur,
& quod miracula omnia longissimo intervallo superat, tametsi Sa-
tan immane sævit, & aliqua Ecclesiæ membra gravissimè oppugnat,
ipsam tamen Ecclesiam penitus expugnare atque delere minimè
potest. Quâ unâ gloriâ maximè exultat triumphatq; Ecclesiæ.

Omnia mundi huius regna corruunt, interitumque tandem su-
um vident: solum Christi regnum ad communem trahi labem re-
nuit. Graviter equidem concussum fuit afflictumque, cum in de-
serto *Regni Christi eternitas.*

ferto Dei aberraret populus, cum in Babylone captivus detineretur, cum in decenniali gentium Imperatorum persecutione durissime pressus, cum traditionum humanarum onere in Papatu obrutus vix caput attollere auderet.

Matt. 16. Verum id evenit quod Christus prædixit:

Porta inferorum Ecclesia non prævalebunt.

Quin hodieque grex pusillus gratum Deo melos ex Psal. 129. pangit.

Sapius oppugnaverunt me à iuventute meâ: cæterum non prævaluerunt mihi.

Matt. 28. Sed nec prævalebunt unquam. Stant etiamnum immota dicta: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Psal. 110. Tu es Sacerdos in æternum.

Spiritus meus qui in te est, & verba mea, quæ inserui ori tuo, nunquam excident de ore tuo, neque de ore seminis tui, neque de ore nepotum ac pronepotum tuorum, dicit Dominus, porro in sempiternum.

Ies. 59.

Id quod insigniter consolatorium omnibus iis est, qui spe atque ope humanâ abeunte, diuturnitati Ecclesiæ anxie per sepe metuunt.

Miraculum enim conservationis Ecclesiæ perennabit, & magis magisque quotannis renovabitur, atque ita ab ævo in ævum cætus erit, qui Domini mortem, utq; dum redierit, annunciet.

Confusio iudeorum. Simul verò os iis obstruitur, qui miracula etiamnum ab Evangelicis importune flagitant, iisq; pervicaciùs urgendis inhaerent. Ut enim taceam, omnia ea quæ à Prophetis, Christo, & Apostolis patrata sunt, Ecclesiarum Evangelicarum maximè *idiōtata* esse miracula; annon mirabile est, quòd in Germania, utut potentissimi Caroli

Egypta transibant.

1. V. Imperatoris fortuna Evangelicos in bello Smalcaldico Principes sibi subiecisset, Evangelium intactum, inviolatumque mansit?
2. Annon mirabile, quòd in Anglia, cum Reginae Mariæ temporibus gregatim ustulabantur, urebantur, quotquot ad Evangelii confessionem caput erigerent, os aperirent, ipsis velut è cineribus Evangelii professores novi dudum exorti? Annon stupendum, quòd, cum editâ ante annos quadraginta septem in Galliâ tam horrendâ carni-

carni-

carnificinâ, de Evangelio actum maximè videretur, paucorum decursu annorum magno numero surrexere, qui doctrinæ puritati addicti, eandem ad seram usque posteritatem transmiserunt? Annon stupendum, quòd cum in Belgio desperata jam putarentur omnia, deq; Ecclesiis illis conclamatum propè esset, ex ipsæ media inter arma, quadraginta annorum continuato bello, pulcrè demum virere atque florere cœperunt? Annon stupendum, quòd, cum hoc ipso in regno ante quindecim annos magno id conatu agi cœptum, ut quicquid Evangelicam doctrinam saperet, ad exitium vocaretur, præter & supra hominum cogitata plenus Evangelio cursus non diu post relictus fuit? Et quid loquar præterea? nonne mirum, & supra miraculum omne, quòd EVANGELICUM BOHEMIÆ REGEM divinitus videmus obtigisse? Atque adeò quòd hoc suggestum hodie pedibus calco, quòd de internâ Ecclesiæ Dei gloriâ verba ego facio, miraculi instar habendum.

Ideo iterum iterumq; dico: *Magnus Deus noster est, neq; gubernationis, quam tenet, ratio comprehendendi à quoquam potest.*

Sexta Ecclesiæ præstantia vitæ æternæ concernit hereditatem.

Ad extremum veræ Ecclesiæ quiddam inest, quod ipsa quidem sentit, aliorum verò oculis minimè patescit. Ecquod illud? absconditam nominabo vitam, quam in se continet, ut scriptum reliquit Apostolus, Coloss. 3.

Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Verbum de eâ nemo Iudæus, Turca, aut idololatra facit.

Hinc tanto animi timore obstupescunt in morte, pectore confite e nihil solatii quit. Abditâ quippe vitâ destituuntur, id est, certa carnis resuscitandæ, & futuræ spes gloriæ eos deserit. Pii contra in morbis, persecutionibus, inq; ipsa morte, eo maximè nomine latantur, quòd occultus illis thesaurus in corde situs est, amœna nempe illa spes, quâ non morituros se confidunt, sed victuros, eximiaq; Dei opera deprædicaturos, jamq; adeò in cœlestibus se collocatos federe: nam ita animum sibi dicere: in Filii Dei suavissimis promissis prorsus sperare, dicentis; *qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Patrem insuper id impensè cupere, attestante ipso Christo: *Hæc est voluntas eius qui misit me Patris, ne quid perdam ex omnibus que dedit mihi.*

D 2

Adhæc

B. Vita vera, hic abscondita.

Extra fortam ignota.

Ioh. 6.

Adhæc Sanctum illum Spiritum, ut tenacissimè sensum occuparet, idem obsignasse atq; confirmasse.

Itaque illis, quod Sancto Ignatio, usque venit, qui morti vicinus, Sentio, inquit, aquam vivam, manentem in me, qua intrinsecus mihi dicit; Ignati, Ignati, ad Patrem, ad Patrem.

Aqua hæc Spiritus Sanctus est, qui spiritui nostro mediâ in morte attestatur, Dei nos esse filios, ideoque, ubi Christus, vita nostra, manifestus fuerit, cum ipso nos quoque in gloriâ patefactum iri.

Itaque alii mundi huius, quas possident; opibus magnifice se efferant: nos in cœlestium bonorum perfruitione, quæ in cœlo nos manent, unicè gloriamur: iactent alii humanam gloriolam, quâ in terris decorantur: nos in maximâ laude ducimus, quòd in cœlis à Deo honore mactamur. Insolentiùs se ostentent alii, lætitiâ terrenâ exultantes, voluptatibusq; abundantes: nos in sempiternis gaudiis, quæ in beatis illis locis, in mundo nobis afflictis parata, optimo iure triumphamus.

EPILOGVS.

Atque ista idem brevis esto declaratio dicti: Omnis pulcritudo filiæ Regis est intrinsecus.

Percepistis itaque, quâ in re internus ille decor Ecclesiæ atque ornatus situs sit: nimirum non in aurî argentiq; splendore aliquo, neque in rebus omnibus prosperè & ex voto fluentibus, sed in eo potissimùm, quòd purum Dei verbum sartum tectum conservat, quòd Deum juxta voluntatis suæ præscriptum invocat, eiusdemq; auxilium impetrat. quòd mirandas Dei liberationes commemorare, in fitas à Spiritu Sancto fidelium cordibus virtutes novit de prædicare, quòd certis prædictionibus, & suspicione minimè obnoxiiis miraculis coruscat, & in ipsâ quoque morte vitam abditam vivit:

Absit igitur externo fulgore in templis nitentes intueare parietes, sed in auditorum potiùs corda animi infer oculos,

oculos, introspecte penitus in omnes partes, attendens, num Dei verbum amplectentur, num precibus ardenti-
bus assidue vacent, an stupendas liberationes canenti-
um filiorum Dei choro se adiungant, an Sanctitatis Pro-
pheticae & Apostolicae calore indies magis magisque exar-
descant, & abnegata impietate totos se sanctimoniam
mancipent, num firmas prophetias, miraculaque minimè
in vanum subdole flexa ostendant, an denique vitam in
Christo absconditam suo in corde sentiant atque depre-
hendant. Hæc inquam curioso oculo perlustra, si mo-
dò genuinam germanam in terris Ecclesiam quærere ac
invenire allubescit.

Eam verò, ubi repereris, constanter amplectere, pre-
ces, fidei confessionem, crucis tolerantiam amicam qua-
dam animorum consensione cum eadem jungito, certo
certius persuasus, ipsum illum cœtum, tametsi coram
hominum oculis obscurius lucere jam videatur, in Dei
nihilominus conspectu, maximo illustrem esse splendo-
re: quin imò & coram hominibus in clarissimâ olim
luce positum iri, beatâ illâ die illucescente, ubi cœlestis
sponsus Christus carissimam animo suo sponsam, id est,
electos fidelesque Patri hisce adducet verbis:

Pater, hi sunt quos dedisti mihi, qui in me credi-
derunt, qui me amârunt, confessique sunt, atque in
tentationibus mecum perseverârunt: Sancte Pa-
ter, volo, ut ubi ego, & illi sint, ut meam, tuam, &
Sancti Spiritus gloriam cernant.

Tum demum iusti solis instar fulgebunt: tum Regis filia exter-
no simul internoque decora erit splendore: cui neque Sol, neque luna
nocumento erunt, quoniam Christus, quo sponso gloriatur, Sol &
luna eius, omniaque in omnibus est perpetuum futurus.

Ipsi gloria sempiterna, AMEN.

D 3

PRE-

PRECATIO.

Omnipotens, misericors, fidelis Deus & Pater, meritas Tibi gratias laudesq; pro summa ista gloria tribuimus, quod conveniendi hinc quoq; potestatem nobis facis, quoq; verbum tuum enarrare, & ex eo omnis generis doctrinas, commonefactiones, & solatia, ad nominis tui gloriam, nostriq; edificationem cumulate haurire datur. Inprimis gratias Tibi agimus maximas, quod in sacris litteris, ubi locorum veram invenire liceat Ecclesiam, clare nobis commonstrare dignaris; ubi nempe secundum verbi tui prascriptum, voluntatisq; tuae beneplacitum nomini inseruitur tuo.

Aperi, o Domine Deus, omnium eorum oculos, quos exterius haecenus splendor occaecavit, ut internum filiae tuae ornatum penitius posthac introsipientes, verbum tuum deament, teq; vera fide invocent, & futurae spe gloriae omnem humanam miseriam letâ patientia vincant.

Gratia porro tuae commendatam esse patriare Regiam tum in Magnâ Britannia, tum Bohemia Maiestatem: utramque sapientia & prudentia adimple spiritu, perenni sanitate, & vitae diuturnioris bono exhilara. Praecipue verò, o Deus, gubernationis à Rege nostro in ita facis semet prosperum sis initium, medium sanctum, beatusq; & exoptatus finis: ut sub ea, quod afflictum antehac fuit, suaviter recreetur, quod semimortuum jacuit, rursum exitetur. Commendamus itidem Tibi Regiae Maiestatis Regiam Conjugem, Dominam Matrem, Dominum fratrem, juniores Principes, eosq; omnes, qui ipsos attinent, ut & utrosq; Illustres Dominos Administratores in inferiori & superiori Palatinatu, unâ cum Consiliarijs & Administris.

Statibus Coronae Bohemicae, eiusq; incorporatis regionibus, Moraviae, Silesiae, & Lusatae, benedictionem tuam largiter impertias.

Belli

Belli quoque Duces heroicâ quadam animi magnitudine atque robore induas, ut patriæ pro salute masculè decertent.

Omnes eos, qui asperissimis hisce temporibus, multis magnisque incommodis conflentur, solatio tuo efficaci erige, firma quod debile invalidumque est, morbo affectos sana, tentatos recrea.

Tandem cum ex vita hac migrandum, vitæ in nobis abscondita, & mox cum Christo patefacienda suavissimis nos cogitationibus prius recrea, ut media in morte, mortem ipsam esse vitam, tenebras, lucem, mærorem, gaudium, terram denique relictam, verè occupatum esse cælum, penitissimè habeamus persuasum.

Pater noster &c.



Sperulum Sanctissimi Bernardi militis.
A. Y. 1500, est Deus Pater.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0237517

tatis.
Y. 1500,
in Carnalis,
d.
in durum d.
Bonni agone
Xystarchus
substantia;
Epistato
t. t. d. d. d.
one d. d. d.
f.

professant;
d. d. d. d. d.

~~Exec. B.~~

Hist. Germ. C 121 m

